

gandam tamen legem per consuetudinem via præscriptionis introductam, requiritur necessario bona fides, seu probabilis ignorantia præscribentium, sine qua nulla incipere, vel currere potest præscriptio; cap. *Quoniam* 20, de præscriptionib. ibi: « Synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis etc. » Possessor 2, de regul. Juris in 6, ibi: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; » ac proinde neque consuetudo præscriptiva inchoari potest, aut procedere sine bona fide, cum ipsa debeat esse justa, et rationalis, ac legitime sive canonicè præscripta; cap. *Cum tanto* 11, de consuetud. in 6. Glosa in in cap. *Non est* 3, de consuetud. in 6, verb. *Canonice*; Suarez. lib. 4, defensionis Fidei Catholicæ. cap. 32, num. 20. Lessius lib. 2, cap. 6, num. 46. Layman. loco cit. num. 11. Azorius p. 1, lib. 5, cap. 17, quæst. 6. Pirhing. loc. cit. n. 44. Sylvester verb. *consuetudo* q. 7, et alii plures. (31. Hic tamen est advertendum, quod licet primi Legem Reipublicæ utilem cognoscentes, eamque illicite transgredientes, non possint suam malam fidem præscriptionem, ipsamque consuetudinem re ipsa inchoare. Posterius tamen, qui eorum exempla secuti bona fide Legem non observant, eo quod existimare, et in dubio præsumere possunt, antecessores habuisse justam causam non servandi Legem, possunt præscriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare, vel quasi bona fide ab antecessoribus inchoata fuisset, eandem continuare, et perficere prout optime explicat Layman loco cit. num. 11, ex Scoto qui l. 1, de Justit., qu. 7, art. 2, ad 12, habet præcisa verba: « Ut Lex positiva antiquetur, consuetudo etiam illa, quæ illicite habet ortum, potest, licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere. » Et sic etiam docet Abbas in cap. *Treguas* 1, de tregua, et pace n. 4. Felin. ibid. num. 1. Sylvester verb. *Consuetudo*, quæst. 7. Azorius loc. cit. Pirhing. loc. cit., num. 44, et hanc esse communem sententiam testatur Rochus in cap. ult. de consuetud., sect. 4.

(32. Consuetudo a lege reprobata, et damnata tamquam irrationabilis, et bonis moribus repugnans non potest, licet sit immemorabilis, abrogare Legem; sic colligitur ex cap. *Ad audientiam* 3, cap. *Cum inter* 5, et cap. *Ex parte* 10, de consuetudine et cap. *Consuetudinem* 1, eod. in 6. Et ratio est, quia quando Leges aliquam consuetudinem tamquam simpliciter, et absolute irrationabilem damnant, hoc ipso reddunt illam inefficacem ad inducendam præscriptionem contra Legem. Ita communis Doctorum; atque etiam desumitur ex c. *Cum venerabilis* 7, et cap. *Cum tanto* 11, de consuetud., ubi dicitur, quod talis « non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda; » adeoque quantumvis immemorabilis, non potest abrogare Legem, et sic non est servanda. (33. Consuetudo a Lege, seu Constitutione reprobata tamquam irrationabilis, et iniqua, intelligitur nedum de consuetudine præsentate, seu existente, sed etiam de futura; c. *Ad au-*

*diendum nostram* 3, c. *Cum inter* 5, de consuetud., ubi talis ex post facto introducta consuetudo non valere declaratur; Lex enim de sui natura in futurum, atque etiam ad futuros casus ordinatur; cap. ult. de consuetud. et l. *Leges*, C. de Legibus; ergo ubi Lex reprobatur consuetudinem tamquam irrationabilem, et iniquam, etiam futuram reprobare intelligitur, si etiam ipsa irrationabilis, et iniqua adhuc existat. (34. Si vero nova superveniat causa tollens irrationabilitatem, et iniquitatem, quæ ab initio inesse videbatur consuetudini, quando Legislatores eam ut irrationabilem, et iniquam reprobavit, tunc potest induci valida consuetudo adversus eam legem, non obstante tali reprobatione; Glosa in cap. *Licet* 1, de consuetudinib. in 6, verb. *Expresse*, juncta Glosa marginali, ibi: « Nisi consuetudo juvaretur nova ratione; » Abbas in c. *Cum tanto* 11, consuetud. id probans ex c. *Non debet* 8, de consanguinit. et affinit. ubi dicitur non debere reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum (sive rationum) leges mutantur; vide verba textus sub num. 17, et l. *Si hominum*, ff. *Mandati*, ubi generalis Procurator potest ex justa causa de novo superveniente, vel antea ignorata, mutare ea, quæ a Domino specialiter sunt provisæ; et hoc est certissimum, quia ratio Legis est anima Legis, ergo superveniente nova ratione, sive causa, quæ tollit irrationabilitatem, et iniquitatem reprobatae consuetudinis, censetur etiam tolli ipsamet Lex hanc reprobans arg. cap. *Intelligentia* 6, de verb. significat. cum similibus; quoties enim circumstantiæ Legis sunt mutatae, prouderet iudicatur Legislatorem consentire in consuetudinem eam abrogantem.

(35. Per Legem universalem seu clausulam generalem abrogativam consuetudinis v. g. non obstante quacumque consuetudine, aut huiusmodi, non abrogatur consuetudo immemorabilis, nisi de ea fiat specialis mentio; Covarruvias lib. 5, variar. resolut. c. 13, n. 5. Baldus l. unic. Cod. de annonis; Barbosa claus. 87, num. 4 et 8, allegans plurimos alios; Mascard de probationib. conclus. 424, num. 4. Castropalao part. 1, tract. 3, disp. 3, punct. 5, § 1, num. 10, asserens hanc esse communem sententiam. Et ratio est, quia consuetudo immemorabilis habet majorem vim, et auctoritatem, quam aliæ consuetudines, ut patet ex l. *Hoc jure*, § *ductus aquæ* ff. de aqua quotidian. adeoque necesse est ut ea specialiter et expresse abrogetur, alioquin valebit. Exemplum hujus habetur in c. *Si Episcopus* 2, de penitent. et remission. in 6, ubi dicitur nulla posse consuetudine induci, quod aliquis præter sui superioris licentiam possit sibi eligere Confessarium, et tamen ante Concilium Tridentinum simplices Presbyteri sibi invicem confitebantur, suffragante videlicet ipsis consuetudine immemorabili, quam postmodum expresse revocavit d. Tridentinum sess. 23, cap. 15, de reformat. ibi: « Privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus; » et quod consuetudo immemorabilis non com-

prehendatur sub generali revocatione consuetudinum, sed ad ejus abrogationem requiratur specialis mentio per ly, etiam immemorabilis, aut huiusmodi, expresse declaravit Sacra Congregatio teste Fagnan. in cap. *Ad hæc* n. 34, de relig. domib.

(36. Consuetudo principaliter differt a Præscriptione, quia Præscriptio datur inter privatos, et a privatis inducitur: Consuetudo vero non inducitur nisi a Communitate, cum ipsa sit Lex, et Jus non scriptum; l. *De quibus* 32, ff. de Legib. et § *sine scripto* 9, Instit. de Jure naturali. Unde paucis loquendo: Ex consuetudine acquiritur publico; ex præscriptione acquiritur privato (1).

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(37. An ad inducendam Consuetudinem in statu monarchico opus sit scientia et patientia Principis, mire inter se variant Auctores. Negant alii, Hann. ad Wesembec. lib. 1, tit. 3, n. 10. Christin. decis. Belgic. vol. 2, dec. 55, n. 6. (38. Alii affirmant, Treutler. select. disp. vol. 1, disp. 1, thes. 9, lit. D. Strykius in us. modern. Pandect. lib. 1, tit. 3, n. 65. (39. Contrarias hasce opiniones ita alii conciliant, ut procedat opinio negativa, si agatur de consuetudine præter legem, procedat, vero opinio affirmativa, si de consuetudine contra legem agatur; Tulden. in Cod. tit. *Que sit long. consuetud.* n. Boehmer. in introduct. in jus digest. lib. 1, tit. 19, n. 19. (40. Alii aliæ placent conciliationes, de quibus consule Hann. ad Treutler. select. disp. vol. 2, disp. 1, qu. 54. (41. Mihi negativa opinio arridet, et quidem sive res sit de Consuetudine præter legem, sive de Consuetudine contra legem, idque quia tum in jure civili; leg. 33, et plur. sequent. ff. de Leg. leg. 1 et 3, cap. *Que sit long. consuetud.* tum in jure canonico. c. final. de Consuetud. generaliter probata est quævis Consuetudo. (42. Non est ergo cur ad ipsam inducendam necessaria esse possit scientia et patientia Principis, si ea probata jam est a Principe. (43. Et quod prætereundum haud est, in dict. cap. final. de Consuetud. probata est Consuetudo contraria juri positivo, modo tamen sit rationalis, et legitime præscripta.

(44. Cæterum si Lex aliqua nominatim prohibeat Consuetudinem sibi contrariam, tunc opus esse videtur scientia et patientia Principis (45. ad consuetudinem inducendam; (46. quum, pro Consuetudine hac non militet mox adducta ratio, quod Princeps probavit Consuetudinem. (47. Quod si consuetudo expressis verbis prohibita a Lege, sit immemorabilis, præsumitur scientia et patientia Principis.

(1) Consuetudo contraria Decretis Sac. Concilii Tri. entini non est attendenda, quia in Bulla Pii IV, quæ legitur in fine ejusdem Concilii, habetur Decretum irritans ea omnia quæ obstant eidem Sacro Concilio, ex quo fluit ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia singulis capitulis ejusdem; *Instit. Eccl.* 60, § 7.

Consuetudo rationalis et legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam, ex textu in cap. final. de Consuet. Nefas tamen est

## ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(48. Consuetudinem, quæ est contraria bonis moribus, aut Juri naturali, non tam pro consuetudine, quam pro abusu et corruptela reputandam esse, compertum est.

(49. Non omnium Consuetudinum eadem est vis et auctoritas.

(50. Et quidem quædam sunt Consuetudines quæ auctoritate, etiam Sacræ Scripturæ cedere non debent, utpote quæ ex Traditione Apostolica ad nos transmissæ habentur.

(51. Sunt consuetudines, quas universalis per orbem diffusa Ecclesia servat, et quæ ab Apostolis ad nos dimanatae creduntur.

(52. Aliæ vero quæ nec contra Scripturam Sacram, nec contra bonos mores esse noscuntur; ac variæ et diversæ pro varietate locorum et populorum reperiuntur; de quibus agit Sanctus Augustinus Epistola ad Casulanum.

(53. Quænam consuetudines, etsi inveteratæ, cum vix, aut omnino nunquam inveniri possint causæ quas in eis instituendis homines secuti sunt, sine ulla dubitatione rescandæ et extirpandæ sunt.

(54. Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat, uti docet Gratianus *Can.* 10, sive quod ea sit accipienda consuetudo, sine differentia locorum, quæ plus omnipotenti Deo possit placere.

(55. Consuetudines pias et laudabiles observari jussit S. Carolus in suo Concil. Mediolan. I.

(56. Consuetudo, quæ omnino rationi et veritati conformis est, ex Divo Augustino, retinenda esse videtur; ait enim ipse Sanctus Doctor *Can.* 7: « Cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiter retineri. »

(57. Mutationem antiquarum Consuetudinum et inveteratorum morum solere esse causam turbationis, multaque secum incommoda trahere in Rempublicam Christianam fusius ostendit Franciscus Salgado, in *Tract. De Supplicat. ad Sanctiss.* part. 1, cap. 6.

(58. A Consuetudine suæ Ecclesiæ quoad ritus non facile recedendum est, eo quod huiusmodi licentiam paulatim latius serpens, confusionem, aliaque incommoda in ipsos sacros ritus et Sacramentorum administrationem inducere posset.

(59. In officiis et honoribus exhibendis non modo videndum est quidquid lege sancitum, sed quid consuetudine valeat; adeo ut in juribus honorificis exhibendis plurimi semper facienda sit recepta consuetudo; ita Franciscus de Roye Lib. 2, c. 3, De Juribus Honorificis.

(60. Consuetudo Canones in totum abrogare non potest, eo quod ipsi quandoque

Episcopo juxta consuetudinem diocesis suæ contra Canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia Superioris legislatoris. Nimis autem esset arrogantia si Episcopus legem conderet contra legem Superioris; *De Synodo Diac.* lib. 7, cap. 71, § 7. Qui plura, et distinctiora cupit hac super re, adeat Editionem Quartam Romanam *Theol. Moralis* Rev. P. Antoine *Tract. de Legibus* cap. 9 (Edit. Rom.).

non tantum juri mere positivo, sed etiam naturali inniti videntur.

(61. Canones autem quæ versantur circa ea quæ sunt juris Naturæ, neququam abrogari consuetudine possunt, vel ulla humana relaxatione immutari.

(62. Consuetudinem abrogare potest tam jus commune, quam statutarium.

(63. Præsertim si jus quod alieni tribuitur, non est prohibens, sed concedens.

(64. Circa consuetudinem, quatuor casus figurari valent, in quibus ipsa adesse potest. Primus est quando jus est conforme consuetudini, disponendo id quod consuetudo recipit: et tunc ista non est consuetudo, sed observantia legis. Secundus, quando jus est simpliciter contrarium consuetudini disponendo id contra quod introducta fuit consuetudo; et tunc ista dicitur consuetudo contra simplicem dispositionem juris, quæ sola quadragenaria induci potest. Tertius est, ut quando Jus est nedum contrarium consuetudini, sed illi resistit derogando, et prohibendo contrarium usum, et tunc requiritur quadragenaria cum titulo vel immemorabilis. Quartus casus est, quando jus nec assistit, nec resistit consuetudini, sive per contrarietatem, sive per resistantiam prohibitivam, et tunc dicitur consuetudo interpretativa, quæ datur in re dubia, et potest per decennium introduci.

(65. Consuetudo ut vim et auctoritatem legis habeat tria concurrere debent, videlicet usus longævus, Principis consensus, et rationabilis causa; ita Doctores omnes in *L. de quibus*, de consuetudine agentes.

(66. Quot anni desiderantur ad inducendam consuetudinem vim legis habentem, non constat apud Doctores. Glossa et Bartolus docent decem vel viginti annis induci perfectissimam consuetudinem; Holtomanus vero et Mela existimant tantum tempus desiderari, quantum superstium hominum nec ætas, nec memoria comprehendere possit.

(67. Quidquid sit, receptior opinio est illorum, qui discrimen constituunt inter consuetudinem quæ est præter jus et eam quæ est contra jus; ita ut sit præter jus scriptum, desiderantur tantum decem anni; si vero contra jus, desiderantur quadraginta.

(68. Sed sive per decem sive per quadraginta annos inducatur consuetudo, debent per illud tempus actus populi intervenire; quia non verbis, sed factis consuetudo introducitur; (69. qui quidem actus debent esse voluntarii et non coacti, ut pluribus relatis defendit Avendanus de Metu lib. 2, c. 36. (70. Hi actus debent etiam esse uniformes, cum ex difformibus consensus colligi non possit.

(71. Ut Consuetudo vim legis obtineat, desideratur Principis consensus sive approbatio, et hæc vel tacita vel expressa.

(72. Consensus Principis debet esse rationabilis, ita ut justa ratione nitatur, sive rationi non repugnet quæ lege statui potuit; eadem enim est materia legis, justitiæ et consuetudinis; nam consuetudo est tacita quadam lex; leg. 3. *Quæ sit longa consuetu-*

*do*. Irrationabilis enim consuetudo corruptela est, quæ nec immemorabili tempore præscribi potest.

## ADDITIONES CASINENSES.

(73. Illud profecto videtur obstare validitati Consuetudinis contra Canones, quod sicut Inferiores Papa non possint condere leges contra Sac. Canones *c. Cum inferior* 16, de Majorit. et obed. sic non valeant etiam contra eos consuetudinem inducere. Sed animadvertendum est aliquam disparitatem esse inter legem et consuetudinem. Nam vetitum est contra Canones leges condere propter periculum animarum, ut observat Abbas cap. ult. num. 9, de Consuetud. Et propterea omnino deest legislatoris consensus. At pro consuetudine rationabili eadem ratio non militat, nam cum lex ordinatur ad bonum commune, ubi longa experientia constet contra mentem legislatoris Canonem deservire potius ad laqueum Conscientiarum, quam ad illarum utilitatem conferre, tunc Legislatorem subditorum infirmitati deferre, et saltem facite et legaliter legem abrogare optime censetur. Unde si bene advertimus, in tali casu inferior non derogat legibus Superioris, sed ipse Legislator eam tollit, consentiendo tali consuetudini, et Jure communi statuendo quod per contrariam consuetudinem rationabilem legitimeque præscriptam possit tolli jus positivum humanum, Abbas c. 1, num. 4. de Tregua et pace.

(74. Quia Consuetudo est jus non scriptum et obtinet vim, rationemque legis, propterea sicut lex dividitur, ratione suæ materiæ, in Ecclesiasticam et Civilem, sic Consuetudo alia est Ecclesiastica, alia Civilis. Consuetudo Ecclesiastica sive Canonica est illa quæ ad res Spirituales vel Ecclesiasticas pertinet, Civilis vero, quæ circa materias temporales, vel ad gubernationem Reipublicæ pertinentes versatur. Sed consistere nequit Consuetudo mixta, ut si Clerici et Laici in eadem re convenirent; nam talis Consuetudo aut est de materia spirituali, servaturque tam a Clericis, quam a Laicis, quatenus sunt Christiani, et vocatur Consuetudo Canonica. Aut Consuetudo est de re mere temporali et tunc dicitur Civilis, quia custoditur a Clericis, non quatenus sunt Clerici, sed in quantum sunt Cives, et Reipublicæ membra; Suarez lib. 9 de legibus cap. 5, n. 1; Pirrhing de cons. n. 7.

Consuetudo *generalissima* est illa quæ in toto Orbe Christiani servatur, non in aliqua Civitate vel Provincia solummodo. Tales sunt consuetudines Ecclesiasticæ, quas memorat can. Ecclesiasticor., dist. 11. Consuetudo generalis vero dicitur ea quæ tantum in una Christiani Orbis Provincia servatur, ut in *c. Cum Eccles.* de Election. et *c. Ex tuarum de authoritat. et usu Pallii*. Specialis tamen consuetudo appellatur, quam tenet dumtaxat aliqua civitas, pagus, aut villa, de qua fit mentio in *c. Venientes* 19 de Jurejurando ibi: « Secundum vestræ Civitatis consuetudinem. » Et *l. An in totum* 6, de Edific. privat. et *l. Ven. § Si constat.* ff. Commu-

no prædior. Hæc tamen Consuetudo prævalet Generali, et si sint incompatibiles, illi derogat, juxta Reg. 34. Juris in 6 *Generi per speciem derogatur*. Et si coexistere possint, generalis per specialem explicatur, Card. Tuschus Lit. G. Concl. 36, n. 41; Barbosa Axiomat. 107, n. 3 et 12. Demum appellatur *specialissima* illa Consuetudo, quæ servatur a minima parte populi, ut *l. Si Servus plurimum.* § fin. ff. de Legat. I et *l. qui semisses.* ff. de Usuris. Hæc tamen jus non facit, sed tantum præsumptionem inducit, cui stare debemus, nisi contrarium probetur per Leg. cit. juncto *c. Ex studiis* et *c. Mandata de Præsumption.*

(75. Consuetudo dividitur amplius in judicialem et extrajudicialem, Zasius tit. de Legib. ff. n. ult. Judicialis ea dicitur, quæ pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere obtinuit in judicio; et saltem tunc requiritur quod bis judicatum fuerit pariformiter in judicio contradictorio intra decennium, Glossa in *l. De quibus § Inveterata*. At si aliquando juxta illam, aliquando contra judicium prolatum fuerit, nulla Consuetudo inde oritur, Glossa *l. Cum de consuetudine*, etc. *Contradictio* ff. eod. Contra Consuetudo extrajudicialis est illa quæ longo usu populi extra judicium inducitur.

(76. Consuetudo per quam rumpitur Nervus Disciplinæ Ecclesiæ, scilicet boni mores vel ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ violantur, nullam vim obtinet, proque irrita habetur, *c. Cum inter* 5, Consuetud. « Nos igitur cognito, inquit, quod ex tali consuetudine (non servandi Interdictum generale) si qua foret, dirumperetur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam duximus irritandam. » Ex quo sic concludit Glossa fin. « Et sic patet, quod ubicumque fit aliquid contra Ecclesiasticam disciplinam, sive nervum Ecclesiæ, non habet locum præscriptio. »

(77. Similiter non valet Consuetudo quæ impedit correctionem morum, uti clare habetur in *c. Irrefragabil.* de Offic. Ordinar. ibi: « Ut autem correctionis et reformationis officium (Prælati Ecclesiarum) libere valeant exercere, decernimus ut executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio va-

## CONTRACTUS IN GENERE.

## SUMMARIUM.

1. Contractus proprie dictus quid sit. — 2. Adducitur, et solvitur instantia. — 3. Contractus ut sic dividitur primo in contractum *explicitum*, seu *formalem*, et in contractum *implicitum*, seu *interpretativum*: et quis sit uterque; *ad n. 5.* — 6. Secundo, contractus ut sic dividitur in contractum *gratuitum lucrativum*, et in contractum *oneratum*; et quis sit uterque; *ad n. 8.* — 9. Tertio, contractus ut sic dividitur in contractus *nominatos* et in contractus *innominatos*; et qui sint uterque, *ad n. 12.* — 13. Assignatur discrimen inter ipsos, *usque ad n. 14.* — 15. Quarto, Contractus ut sic dividitur in Contractus *bonæ fidei*, et in Contractus *stricti juris*, et qui sunt utriusque, *usque ad n. 16.* — 17. Contractus *bonæ fidei* quare dicantur tales. — 18. Actiones *bonæ fidei* numerantur septemdecim. — 19. Contractus possunt perfici, aut compleri quatuor modis, scilicet, re,

leat impedire. » Et cap. *Cum ex officii* 16, de Præscript. « Quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, » etc. Quamvis vero non præscribatur per Consuetudinem obedientiam et visitatio, ac consequenter morum correctio *extinctive*, ita ut, scilicet, nulli debeatur obedientia, et nulli pertineat morum correctio et emendatio, tamen consuetudo præscribere solet *translative*, scilicet defert alio, quam legitimo superiori jurisdictionem, et sic jus Episcopi defertur Abbati vel Summo Pontifici ex *c. cit.* *Cum ex Officii* de Præscript. in quo additur. « Etsi alius contra eum præscribere posset utramque. » Barbos. part. 3, de offic. et potest. Episcop. allegat. 129, n. 9.

(78. Consuetudo si sit sola et non fulciatur a privilegio Apostolico, aut saltem ab ejus fama, cum est immemorialis, præscribere nullo modo potest contra Ecclesiasticam libertatem, Immunitatemque; nam in utroque jure talis Consuetudo reprobatum velut irrationabilis, ut pro Jure Canonico in cap. 1, et *c. Cum inter* 5 de Consuet. et in *c. Ad nostram* 3 eod. Demum *c. Cum terra* 14 de Elect. ubi sit: « Quia igitur hoc redundat in gravamen et perniciem Ecclesiasticæ Libertatis, præscriptam consuetudinis pravitate sancimus penitus abolendam. » Et pro Jure Civili Auth. Cassa C. de Sacrosanct. Ecclesiis verbis. « Cassa et irrita esse denunciari per totam Italiam præcipit omnia statuta et Consuetudines contra libertatem Ecclesiæ, ejusque personas inductis adversus Canonicas et Imperiales Sanctiones, et ea de Capitularibus penitus aboleri mandat nova Constitutio; et de cætero similia attentata ipso jure nulla esse decernit. » Vide Gloss. cap. ult. vers. *Rationabilis*, et ibi Abbas n. 5 hujus tit. Alex. Sperell. Decis. 37, for. Eccles., n. 41 et 42 allegans Rotam Decis. 10 de Consuet. in antiq. et in Oscens. Canonicatus 1, Decem. 1596. coram penna Barbos. in Collectan. ad *c. Ecclesia S. Mariæ* n. 18 et seq. de Constit. At si adest privilegium Pontificis tunc, ut diximus, vim habet Consuetudo.

(79. Alia reperies apud Canonistas Tit. de Consuetudine.

verbis, scriptis, et consensu. — 20. Ad validitatem contractus multæ requiruntur conditiones. Prima est mutuus utriusque contrahentis consensus. — 21. Secunda ut contractus fiat a personis potentibus, et non prohibitis de jure contrahere. — 22. Unde invalidi sunt Contractus celebrati ab infantibus usu rationis carentibus, et amentibus, furiosis, ebriis, et phreneticis. — 23. Filiusfamilias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, et auctoritate Patris sui ex nullo contractu obligatur civiliter. — 24. Pupillus adhuc impubes auctoritate Tutoris contrahens obligatur civiliter. — 25. Filiusfamilias pubes non potest valide contrahere sine consensu Patris de bonis adventitiis et profectitiis. — 26. Potest tamen talis filius etiam sine consensu Patris contrahere de suis bonis castrensibus, et quasi castrensibus. — 27. Pupillus, et Minorem valide contrahit in suum commodum obligando alterum, non tamen in suum incommodum obligando se al-